



## **Theophili Raynavdi Societatis Iesv Theologi, Opera Omnia**

Tam hactenus inedita, quàm alias excusa, longo Authoris labore aucta & emendata : Accessit Tomvs Integer Complectens Indices Septemdecim in vniversum Opus, omnium quotquot prodierunt locupletissimos, Qvibus Absolvts Divinae Av Humanae Eruditionis Thesaurus Orbi literato aperitur ; Adiectus est ...

**Raynaud, Théophile**

**Lugduni, 1665**

XI. Christus, Pontifex futurorum bonorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79582](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79582)

na. Ibi uiuit & audit, ibi conuerfatur & loquitur & ratiocinatur, ibique operatur opera fpiritualia, & Deo digna. Deprecemur ergo & nos, ut imitemur per virtutem ipsius, & moriamur feculo nequitie tenebrarum, auferaturque à nobis fpiritus peccati, & induamur, recipiamusque animam cœlestis fpiritus, atque tranferamur è malitia tenebrarum, ad lumen Christi, & requiescamus in vita per vniuersa fecula.]

1070 Et nos tamen quia liberè assentimur immolanti nos Deo, sacerdotes sumus nostri ipsorum, & Christi sacrificium æmulamur Audi Paulinum Epist. 5. [Imitando imitatore Christi, peruenimus ad imitationem Dei, cui bonus odor sumus in Christo, si exhibeamus hostiam viuam obsequio rationabili, vt illi puram similitudinem mola mundi cordis excretam, ab interioris nostri penetralibus offeramus, & in pectore nostro castam altare ponentes, illa per legem iusta sacrificiis animalia mactemus in vitis, immolantes hircum cum peremptione peccati, in quo odor mortis est; cadentes taurum, si depouamus superbiam; sacrificantes ouem, si molli-tudinem & ignauiam, in charitate non tepidi, & spiritu feruente eiciamus. Offerentes in nobis & agnum, si immaculati viuamus: & vitulum, si efficiamur malitia paruuli, vt vnus purum, pudicitia; alterius stultum, simplicitate referamus. Quale te sacrificium Deo exhibere video in templo tui corporis, in sacrario tui cordis, in immolatione tua carnis, in oblatione tua animæ. Immolas taurum cum pia humilitate depositus, ceruicem altam percussisti timore diuino. Immolas hæc dum, cum omnia sinistrae partis opera, iustitiæ sectator interficis. Ouem iugulas, cum diligens operarius studiosusque mediator diuinæ voluntatis & legis, inertiam vitæ, & ignauiam quasi pecus molle prosteris, & à te vitæ istius impedimenta, quasi vellera tondenti vitilia, onerosa gestanti, forcipe verbi cœlestis occidis. Quia nos duobus testamentis apprehensos tenet Christus, & vel facinis secularibus quasi lanis exiit: vel rursum vt vellera à corporalibus vitis tanquam à morbida & mollibus ouium corporibus abscindens, in vestimentum sui corporis, quod operatione credentium regit, siquidem vicissim cum Christo induimus, induamur à Christo, in Ecclesia pensa deducit, & simbriis suæ vestis intexit.]

Egregie planè in eandem sententiam disputat Origenes homil. 1. in Leuit. postquam de sacrificio Christi disseruit; vt impellat vnumquemque fidelem ad similiter sacrificandum. [Habes (inquit) & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valde superbus, caro tua: quàm si vis munus Domino offerre, vt eam pudicam castamque custodias, adduc eam ad ostium tabernaculi, id est, vbi diuinorum librorum suscipere possit auditum. Masculinum sit munus tuum feminam nesciat, concupiscentiam respuat, fragilitatem refugiat, nihil dissolutum requirat aut molle. Impone etiam manum tuam super hostiam tuam, vt sit accepta Domino, & iugula illam contra Dominum; hoc est, impone ei continentie frenum, & manum disciplinae ne auferas ab ea, sicut imposuit manum carni suæ ille qui dicebat, *Macerò corpus meum, & serui-tuti subitico, ne forte cum aliis prædicauero, ipse reprobus efficiar.* Et iugula eam contra Dominum, mortificans sine dubio membra tua quæ

sunt super terram.] Addit in eandem rem alia permulta. Pro quibus subitico breuem eiusdem locum ex homilia 9. eiusdem operis *sub finem*; vbi cum præmisisset aliqua de loco solis sacerdotibus patente ad sacrificandum holocaustum, hortaturque esset omnes fideles ad illud ingrediendum; subdit. [Nolo miretis quod hæc ædos solis sacerdotibus pateat. Omnes enim quicumque vnguento sacri christianis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt, sicut & Petrus ait ad omnem Ecclesiam; *Vos autem genus electum, & regale sacerdotium, gens sancta.* Estis ergo genus sacerdotale, & idè acceditis ad sancta. Sed & vnusquisque nostrum, habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succendit altare, vt semper ardeat. Ego si renunciem omnibus quæ possideo, & tollam crucem meam, & sequar Christum, holocaustum obtuli ad altare Dei. Aut si tradidero corpus meum vt ardeam habens charitatem, & gloriam Martyrij conseruar, holocaustum me ipsum obtuli ad altare Dei: si membra mea ab omni concupiscentia carnis mortificauero, si mundus mihi crucifixus & ego mundo, holocaustum obtuli ad altare Dei, & ipse mea hostiæ sacerdos efficiar.]

Quomodo verò Christus, designato vnoquoque nostrum, ad prædictum modum sacerdote, aptauerit nos ad dignè litandum, iis ritibus qui in antiqua lege mandabantur ad sacerdotum præparationem, nostrum cuiuslibet accommodatis, egregie omninò tradit Gregorius Nyssenus orat. 3. in orat. *Dom. initio.* Verùm quia sacrificia nostra, prout à nobis sunt spectata, non aliter se habent quàm excerebrationes canum; gaudeamus eum nobis esse sacerdotem, cuius sacrificium non possit esse non acceptabile. Idem est Rex & sacerdos. Vnde concludit Auctor Commentarij de actione Missarum à Lindano editi, post Apologiam pro Missa S. Petri. [Ne ergo peccet homo, à Rege Christo regatur: si forte peccauerit, ab eodem sacerdote Christo, expietur.]



## CAPVT XI.

*Christus, Pontifex futurorum bonorum.*

1071 **V**IT itaque Christus sacerdos, & quidem *magnus*, quod eius vnus proprium ac verum nomen esse, habetur ex Origene. hom. 12. in Leuit. verbis illis *in pso homilia fronte.* [Omnis qui inter homines sacerdos est, si attendas ad illud sacerdotem, de quo dixit Deus; *Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech;* paruus est & exiguus, ille autem magnus sacerdos, qui potest penetrare cœlos, & vniuersam supergredi creaturam, & ascendere ad eum, qui lucem habitat inaccessibilem, Deum & Patrem vniuersitatis. Propter quod & ille, qui apud Iudæos magnus dicebatur sacerdos, introibat quidem in sancta, sed manufacta, sed lapidibus extracta: non ascendebat in cœlum, nec ad stare poterat apud Patrem luminum. Sed quia horum vmbriam

umbram implebat & imaginem, idcirco etiam magni sacerdotis nomen, per umbram gerebat & imaginem.] Summum potest Sacerdotium, idem est cum Pontificatu, de quo proinde agendum sequitur, præsertim quia Pontificatus adeo cum Sacerdotio, (de quo hæc tenus,) nexus & colligatus est, ut nomine quoque Sacerdotij passim insigniatur: quod monstrat titulus operis de Episcopali dignitate apud Chrysostomum, quod de Sacerdotio inscriptum videmus. Nec sanè aliud est Pontificatus, quàm summum Sacerdotium. Christus ergo non modò Sacerdos fuit, quatenus fuit publicus à Deo delectus minister sacrificii, cum inveniunt, tum eruenti; sed etiam fuit Pontifex ut eum sapè indigat Apostolus in Epistola ad Hebræos, componens Pontificatum Aaronicum cum Pontificatu Christi, quod mox attingemus, cum huius Pontificatus veluti substantiam, & ortum, ac sphaeram exposuerimus, supposita huius Pontificatus veritate, ex Apostoli oraculo.

*Pontificatus, per Regiam Christi potestatem, non excluditur.*

Erit fortassis qui aduersus Christi Pontificatum opponat, quod supra monstrauimus, Christum esse Regem: quæ duo, quamuis olim coniuncta fuerint, ut Pineda in cap. 1. Job Versu 5. num. 18. rectè profequitur; in nouo tamen Testamento discriminantur, iuxta illud Synesij Epist. 37. *sub finem*. [Prisca tempora colidem Sacerdotes ac Iudices tulerunt. Nam Egyptij & Hebræi, longo tempore Sacerdotum imperio ubi sunt: deinde posteaquam, ut mihi videtur, diuinum opus humano more fieri ceptum est, Deus ambo vitæ genera separauit, vniunque horum factum; alterum ad regimen, atque impetum constitutum est. Alios enim ad infirmatum rerum faciem conuertit, alios sibi sociavit: illi in negotiis, non in oratione collocati, ab vtriusque verò quod honestum & contentanum est, requirit Deus.] Eadem habet Epist. 121. Quod si Christus id voluit in nouo Testamento seruari, videtur debuisse exemplo suo prælerari, nec simul esse Rex, & Sacerdos.

1072 Verùm, hæc Christi sacerdotio non officiant, quia ob vnionem hypostaticam, vtrumque & esse potuit, & debuit. Audi S. Hieronymum, in cap. 36. Ezech. cum de holocausto Principis. [Nec miretur lector, si idem & Princeps est, & Sacerdos, & vitulus, & aries, & agnus: cum in Scripturis sanctis, pro varietate causarum, legamus eum Dominum & Deum, & hominem, & Prophetam, & virgam, & radicem, & florem, & principem, & Regem, & iudicem, & iustum, & iustitiam, Apostolum, & Episcopum, brachium seruum, vnguentum, pastorem, filium, & puerum, vnguentum & primogenitum, ostium, viam, Angelum, sagittam, & sapientiam, & multa alia; quorum omnium, si vobis testimonia dicere, proprio libro indigent.] Hæc igitur adeo in speciem dissidentia nomina, rectè in Christo consociantur ob naturarum diuersitatem. Similiter ergo regnum & Sacerdotium rectè in Christo fœderantur. Nec Synesius qui obiiciebatur ait quod idem concomitantur & penes variæ fundamenta Sacerdotio, & regia potestate in nouo etiam Testamento

nequeat potiri. Videmus enim ut supremum Ecclesiæ Hierarcham, & plerisque inferiores, simul Pontifices, simul Principes, & Dynastas supremos esse, ex diuersis fundamentis ac titulis, de quo iam supra actum est hoc libro sect. 4. cap. 2. *initio*. Sed illud tantum significare voluit Synesius quod est certissimum, Principem temporalem eo titulo quod temporalis Princeps sit, non habere in nouo Testamento adiunctam concomitantem prerogatiuam Sacerdotij; sicut olim habebatur apud plerisque, & nunc quoque habere volunt diuiti toto Catholico orbe Britanni, quos meminisse oportuerat, eam in hoc statu rerum, esse prerogatiuam Christo propriam, qui ex eodem fundamento vnionis hypostaticæ, & Rex est & Pontifex. Id ergo tribuere homini putè est, fuitque iam olim, error Politicorum. Nam apud S. Maximum in disputatione coram Principibus in secretario, Gregorius Patricius, contendens Imperatorem esse Sacerdotem, id est Pontificem, & Episcopum Episcoporum, (Quo pacto ad Constantinum Arianum, acclamatum Artiani apud Luciferum Calarum. I. quod moriendum, &c.) tulit à S. Maximo hoc responsum. [Et dixisti, Ergo non est omnis Christianus Imperator, etiam Sacerdos? Et dixi, Non est. Neque enim astat altari, neque per sanctificationem panis, exaltat eum, dicens, Sancta sanctis. Neque baptizat, neque christum confectioem patrat, neque facit Episcopos vel Presbyteros aut Diaconos; neque linat Ecclesiæ, neque indicia Sacerdotij fert, superhumale scilicet, & Euangelium, quemadmodum Imperij coronam, & purpuram. Et dixisti, Et quomodo Scriptura, Regem & Sacerdotem, dicit esse Melchisedech? Et dixi, Vnius naturæ Regis, cunctorum Dei natura, etiam ob salutem nostram Pontificis facti, vnus erat typus Melchisedech. Quod si secundum ordinem Melchisedech, alium dicit esse Regem & Sacerdotem, & reliqua prætere dicere; id est sine patre, sine matre, sine genealogia; neque initium dictum, neque finem vitæ habentem. Et aduerte, quod ex hoc, orti valeat malum. Alius quippe talis reperietur Deus incarnatus, secundum ordinem Melchisedech, & non secundum ordinem Aaron, salutem nostram perficiens.] En quomodo solus Christus, ex eodem fundamento filiationis naturalis, Rex est & Pontifex, siue summus Sacerdos: caret autem quia patri homines sunt, non sic; sed si alicubi regno comitatur Pontificatus, ex diuersis titulis ex fundamentis proficitur.

*Pontificatus Christi, idem cum potestate excellentiæ, supra adæquatur.*

1073 Christum igitur esse Pontificem, quamuis item princeps sit extra dubium est. Nunc quid sit hic Pontificatus, exquirendum est. Pontificatus Christi, propriè ea potestate continetur, qua Christus non tanquam causa ministerialis, sed tanquam autor, instituit Ecclesiam; eamque sacramentis gratiæ feracibus instruxit, & pastores cum iurisdictione ei præfecit. Quæ potestas passim à Theologis vocatur *potestas excellentiæ*, & ab aliquibus dicitur, omnibus præterquam Christo incommunicabilis fuisse: tantum abest, ut communicata fuerit. Quod intelligunt,

telligunt, de hac potestate Christi sumpta inadaquate, siue quoad sacramenta. Sic enim spectatam eam potestatem, Alanus lib. de Sacram. in genere cap. 48. & Sayrus lib. 2. de Sacram. cap. 2. auint quatuor rebus maxime contineri, nimirum, Primò sacramentorum institutione: Secundò collatione virium ad gratiam conferendam, & peccata remittenda, inclusis quodammodo intra ea meritis suis. Tertio confessione & dispensatione eorundem sacramentorum in Christi nomine, hoc est instituto, virtute, concursu, potentia, primario ministerio & fide nominis eius, quorumcunque vicario ministerio conficiantur & dispensentur. Ac denique Quarto, in alligatione ad sacramenta quoad gratiæ sanctificantis collationem. Potuit enim Christus absque sacramentis conferre gratiam sanctificantem, vt notum est. Sic illi de potestate hac excellentiæ philosophantur, eamque quo ad illorum quatuor complexionem, nemini communicatam fuisse, vel communicari potuisse, affirmat Manus. Et rectè sanè affirmat, nam eam potestatem nemini de facto præterquam Christo commissam esse, quantum attinet ad sacramentum Christianæ Ecclesiæ constitutionem, definitum est in Concilio Tridentino sess. 7. can. 1.

Ab Alano cap. illo 49. & ab alijs passim, laudatur in eandem rem, S. Ambrosius lib. 4. de sacram. cap. 4. verbis illis vulgatissimis. [Autor sacramentorum, quis est nisi Dominus Iesus?] Verùm D. Ambrosius eo loco, nomine *sacramentorum*, intelligit solum Eucharistiam, quam à sancto illo Doctore plurali voce *sacramentorum* esse nuncupatam, docet libri titulus. Sicut etiam Græci quos D. Ambrosius imitari solet, Eucharistiam siue ob duplicem speciem, siue ob adiunctam sacramenti rationem sacrificij; siue ob excellentiam, passim multitudinis numero vocant *sacramenta*, siue *tremenda mysteria*. Itaque ex eo D. Ambrosij loco, tantum habetur, Christum esse autorem Eucharistiæ. Ex quo non sequitur, eum esse autorem omnium sacramentorum. Sanè Autor sermonis de ablur. pedum apud Cyprianum *sub initium* sermonis, Eucharistiam videtur fateri Christum habere autorem: de cæteris autem sacramentis, videtur dicere, ea esse ab Apostolis instituta; sic enim loquitur. [Ipse summus sacerdos sui est sacramenti institutor & autor. In cæteris homines Spiritum sanctum habuere doctorem; & sicut par est Spiritui sancto, & Christo diuinitas, ita in suis institutis æqua est autoritas, & potestas. Nec minus ratum est, quod dictante Spiritu sancto Apostoli tradiderunt, quam quod ipse tradidit, & in sui commemorationem fieri præcepit. Manet singulis propria dignitas, & vniuersalis in suo genere stat actio omnium. Nihil addi nihil subtrahi, nihil potest corrigi vel mutari.] Nec minus apertè initio sermonis de Baptismo Christi. [Remissio inquit, peccatorum, siue per baptismum, siue per alia sacramenta donetur, propria Spiritus sancti est, & ipse soli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum solemnitas, & sacri inuocatio nominis, & signa institutionibus Apostolicis Sacerdotum ministerijs attributa, visibile celebrant sacramentum: rem verò ipsam, Spiritus sanctus format & efficit, & consecrationibus visibilibus inuisibiliter manum totius bonitatis actor apponit, & pleni-

Theoph. Raynaldi de Scrib. Christi.

tudinem gratiæ, vnctionis diuinæ pinguedo, sanctificationibus officialibus infundit, & rem sacramenti consummat & perficit.] Quibus verbis, effectus sacramentorum tribuitur Deo. Eorum autem institutio, id est, forma ac materiæ designatio, Apostolis attribui videtur ex Christi commissione. Quorum locorum, expositionem commodam non inuenio. Itaque planè videtur ita sensisse Autor prædictus. Posset ergo prolatum D. Ambrosij testimonium, accipi eodem modo, vt scilicet solum Eucharistiam auctori Christo tribuat.

Adducenda ergo potius in rem propositam est autoritas D. Augustini tract. 5. in Ioann. qui potestatem Baptismi, atque ad eam cæterorum sacramentorum, ita Christo propriam vult esse vt nemini planè sit commissa, non Petro non Paulo, non vlli alteri ex Apostolis: vt noscent fideles in quo spem figere deberent; & deprehenderent vnde ipsis spiritualium bonorum vbertas, & iugis affluentia suppetat.

174. Quod item attinet ad reliqua tria, quæ Alanus in potestate excellentiæ respectu sacramentorum contineri dicebat, rectè statuit ea soli Christo de facto fuisse propria: meritoque reiecit nonnullos, qui dissenserunt quoad postremum, hoc est quoad gratiæ extra sacramentum collationem, existimantes Apostolum 2. Cor. 2. extra sacramentum absoluisse incestuosum à peccato; etsi Prælati vilius ita fuerit posse ministros Ecclesiæ, culpam extra sacramentum remittere, quæ omnia non temerè tantum, sed erroneè dicta sunt, nec admitenda. Quod autem Alanus secundum è quatuor illis, negat potuisse vlli præterquam Christo communicari, eo quod nemo possit alteri condignè mereri gratiam & remissionem peccati; verè quidem diceret, si necessarium esset, illum qui hæc potestas communicaretur, promereri alijs condignè remissionem peccatorum. Hoc tamen non apparet cur exigatur: cum videatur omnino futurum satis, si persona purè creata, designante certum Symbolum gratiæ, Deus talem gratiam ex meritis Christi elargiretur: vel certè ex meritis condignis illius personæ creatæ, conferret gratiam alteri. Id enim non repugnat puræ creaturæ, etiam si ei repugnet satisfacere Deo ad æqualitatem. Idque merito concessit D. Thomas 3. p. q. 64. articul. 4. ad 3. malè ab Alano reiectus.

Habemus ex his quid sit Pontificatus Christi Domini, & quatenus sit ei proprius. Aliud quippe non est quàm potestas illa excellentiæ, non restricta ad sacramentorum institutionem, & dicationem, sed pro vt etiam funditur ad reliqua quæ initio proposuimus, suntque religioni Christianæ substantialia nempe ad institutionem & formam Ecclesiæ, talèque modum, ac ritum colendi Deum in Spiritu & veritate: Quod potuisset quidem per purum hominem perfici, vnde Pontificatus Christi, quoad ea omnia fuit communicabilis puræ creaturæ: tamen de facto, nulli alteri facta est eius communicatio. Nam longè aliud est idoneitas & vis ad satisfaciendum Deo, eumque hominibus ex iustitia placandi, quæ incommunicabiliter est Christo propria: aliud verò Pontificatus, sola excellentiæ potestate superius exposita constitutus, quem admitto puræ creaturæ posse communicari, etiam si communicatus non sit de facto.

C. C. C. c. Christus

*Christus, in sola humanitate, Pontifex  
noster, & quatenus ea dignus as  
communicabilis.*

1075 Suppono porro quod superius circa sacerdotium monstraui, Christum esse Pontificem in sola natura humana, non autem in diuinitate, contra Arianos quos S. Epiphanius in Acorato, refert stauisse, pontificatum Christi cadere in Verbum diuinum, proxt Verbum. Vnde ex eo quod Apostolus dicit, *Suscipite Pontificem qui fidelis est ei qui fecit ipsam*, inferebant Verbum Dei esse aliquid factum, & inferius Patre. Hos S. Epiphanius confutat ex eodem Apostolo. [Quo ipsos (inquit) redarguat Apostolus, *Omnes, inquit, Pontifex ex hominibus sunt, constituitur, vt offerat dona & sacrificia*. Quam ob causam vnicus Dei filius, cum hominum gratia nasci voluisset, carnem à nobis accepit: vt qui natus à nobis extitisset, tanquam hostiam suo se Patri pro nobis offerens, discipulos suos, fratres appellaret. Vbinam igitur factum illud impletur? Non aliunde quam à Pontifice *suscipite*, (inquit,) *Pontificem fidelem ei qui se fecit*. Atque vt illustriori quodam exemplo vberius illud comprobem; sunge quempiam, qui principem de filio suo percontetur, ac sciscitari audeat; quis est iste? Cum autem veram à Patre confessionem audierit; Filius meus est: interroget rursus; naturane, ac verus filius est? Affirmante Principe, pergat alter: quemnam igitur, dicat, illum fecisti? Rex autem respondeat: Regem illum feci. Quæro igitur, an qui dignitatem illius commemorarit, de germanitate negauerit? An inquam, qui secundum asseueret, primum sustulerit? Minime id quidem. Eodem ita, que modo Deus & Pater, Filium inuicti omnis expertem genuit: cuius in carne verè illud impletum est; *Fecit illum Pontificem*.] Eundem Pauli locum fusc expendit S. Cyrillus, l. 3. pentabibli cap. 2. vrgens Nestorium, qui eo loco abutebatur ad inuehendam in Christum diuisionem. At S. Cyrillus, admittit quidem ex eo loco haberi, Christi Pontificatum cadere in hominem, non tamen à Deo dissociatum.

Liquet ex his, quomodo Christus sit Pontifex in humana natura, in qua donatus est potestate excellentiæ; & per quam obtulit dona & sacrificia pro peccatis; quod est quoque munus Pontificis, quatenus in Pontificatu includitur sacerdotium. Directè namque Pontificatus, sola excellentiæ potestate superius exposita constituitur. Quò spectauit, cum dixi, Pontificatum Christi esse puræ creaturæ communicabilem: Nempè quoad illud quod directè & formaliter dicit, non autem quoad præsupposita; siue quoad sacerdotium perfectum, seu vim iustè placandi Deum pro humano genere, eique ad æqualitatem satisfaciendi per sacrificium suum. Sic enim Pontificatus Christi, est incommunicabilis puræ creaturæ.

Quod si spectemus radicè ex qua prædicta potestas excellentiæ in Christo fuit, se quoque fatendum erit, Pontificatum Christi esse puræ creaturæ incommunicabilem. Radix enim ex qua Christi Pontificatus prodit, alia non fuit quam vnio hypostatica. Hæc illi pro vnctione fuit, & pro charactere, tum sacerdotali, tum Episcopali.

Hunc enim Pater signauit Deus. Aliis quidem Pontifices, necesse habent consecrari & inungi vnctione ipsi accidentibus, qua euadant Pontifices; sicque accipiendo characterem vel nouum & à sacerdotali distinctum, vel eundem, sed extensum & modificatum, (qua de re alibi,) constituantur Pontifices. At iste, quod Suarez l. 3. p. d. 1. r. sect. 4. cum aliis rectè itauit, cum esset substantialiter configuratus, non eguit accidentaria illa configuratione, ad maiorem rei perfectionem moralem, siue sanctitatem, nequaquam pertinente; cum perlerit quoque in damnatis. Quæ est omnino optima ratio, ad negandum Christo characterem ordinis, ex communissima Theologorum sententia, cui pauci quondam refragati sunt apud Alenslem 4. p. q. 8. memb. 8. aut. 1. §. 1. 1. & apud S. Thomam in 4. d. 4. q. 1. art. 3. quæstiunc. 5. & nuper aliquis apud Torrem p. 2. selectarum disputationum in 1. d. dubio 1. qui multis minutis rationibus reiecti sunt à Sayo l. 4. de sacram. cap. 1. q. 2. Sed sufficit ea quam protulimus. Itaque sicut vnio hypostatica, qua nostro Pontifici pro vnctione fuit, non est puræ creaturæ communicabilis, ita neque Pontificatus, proxi in Christo ex hac radice exortus est.

*Christus, à quo tempore, Pontifex.*

1076 Indidem præterea pronuntiahdum est, de tempore quo Christus inuict Pontificatum suum. Certum quippe esse debet, Christum à primo momento sui esse, fuisse Pontificem: quia tunc consecratus est, per vnctionem à Spiritu sancto factam in illo, per vnionem humanitatis cum Verbo, à quo Deitatis suæ vngue est delibuta. Et hoc est quod ait S. Ignatius Epistola ad Magnehanos. [Christus verus, & primus est Episcopus, & solus natura Pontifex.] Latè hæc in te S. Cyrillus lib. 3. pentabibli cap. 4. Nestorium castigat, qui Christum procedente tempore, pronectum esse ad Pontificatum aiebat.

Non potest autem admitti, vt quidem verba sonant, quod ait Petrus Damiani Opul. 6. capite 4. [In illa columba quæ super Dominum post baptismum descendit, ipsa cum lactamento baptismatis & veri sacerdotij iura suscepit, sicut videlicet super eum oleo exultationis, de quo Psalmista canit; *Vniuit te, inquit, Deus, Deum cum oleo lactis præ conforibus tuis*. Probatur autem Redemptor noster, cum baptismo, simul & sacerdotij suscepisse ministerium: quia baptizatus, mox prædicare, Discipulos eligere, nunquam cepit miraculis coruscare: quod cætenus profectò fecisse non legitur, si diligenter Evangelicæ textus series recenseretur. Hinc est quod sancta Epelesia ab ipso suo capite huius normam institutionis arripuit, & fideliter seruat, vt ad instar ipsius Domini, infra tricennium, ad sacerdotium quemlibet non admittat. Nisi enim certa fides haberet, cum Baptismo Dominum simul & sacerdotium suscepisse, vt quid tempore canonice prohiberet autoritas, ante illius ætatis tempus, quo ipse baptizatus est quemquam ad sacerdotales infulas aspirare? Immo cur ad accipiendum sacerdotale fastigium, Dominicæ ætatis adhiberetur exemplum, si minime crederetur tunc Dominus non sine sacerdotio suscepisse baptismum? Sicut enim baptismum, ita & sacerdotium ex parte humanitatis pro nostra salute

lute suscepit, cuius videlicet utriusque sacramenti in eo, quod Deus est autor, & consecrator existit. De quo Apostolus dicit, *Ubi praefor pro nobis introiit secundum ordinem Melchisedech. Pontifex factus in aeternum.* Nam & ipsi sancti Apostoli, non reperitur alibi fuisse à Domino consecrati, nisi in perceptione Baptismi. [Sacerdotium appetit accipit pro Episcopatu, & Pontificatu; clarèque videtur censere, Christum eo fuisse inauguratum in Baptismo: quod nulla ratione dici potest.]

Sed & illud in Petro Damiani improbandum est, si verborum cortici insistantur, quod Apostolos, non aliter quàm in baptismo esse inauguratos & consecratos affirmat. Nam si sensus sit, eos formaliter per baptismum fuisse consecratos Pontifices, non est dubium quin hoc sit profus falsum: alioqui nos quotquot baptizamur, consecraremur Pontifices. Si autem sensus sit consecrationem Pontificiam Apostolorum, comitatum esse eorum Baptismo, non videtur dubitandum, quin hoc sit reiiciendum. Nam quis dubitet, cum primum Christus baptismum suum cepit imperari, Apostolos eum suscepisse, siue ab ipso Christo immediate, quod de solo Petro tradit Eusebius apud Nicephorum lib. 2. cap. 3. siue à Petro, aut alio Apostolorum: Pontifices autem non sunt consecrati tunc temporis, cum tantùm in cœna extrema creati sint sacerdotes, quod ad Pontificiam creationem supponitur. Itaque omnis illa Damiani doctrina, repudianda videtur. Nisi si benignè exponatur de manifestatione Pontificatus Christi, tunc primum facta. Sicut exponimus nonnullos Patres superius relatos, assumant Christum in Baptismo accepisse diuinam filiationem id est manifestationem eius, Patre de cœlis, per vocem delapsam, id contestante. Si ergo id ipsum de Pontificatu suscepto per Christum in Baptismo voluit Damiani, non obfisto. Tunc enim solemniter manifestatus est à Patre Pontifex noster ab omnibus audiendus. Ipsum autem Pontificatum, habuit Christus iam ab initio, & ex quo Verbum est caro factum, quod fuit momentum inaugurationis huius Pontificis.

#### Quanta Pontificatus Christi perfectio.

1077. Inde quoque statuendum est, quanta sit Pontificatus Christi perfectio, & præcellentia. De qua hæc egregie Origenes hom. 6. in Leuit. [Est quidem vnus Pontifex magnus: Dominus noster Iesus Christus, sed ille non solum sacerdos, sed & sacerdotum sacerdos est, & non solum Pontifex, sed Pontificum Pontifex. Nec sacerdotum Princeps, sed Princeps. Principium sacerdotum. Sicut & Rex non dicitur plebis, sed Regum Rex; & Dominus non seniorum, sed Dominus dominorum.] Et pulchrè ac etiam generalius hom. 16. in Iosue *sub medium.* [Igitur tamen sunt qui dicantur in Scripturis presbyteri, vel seniores, vel Pontifices, tamen Dominus Iesus, sicut in Pontificibus Pontificum Princeps est, & sicut in pastoribus Princeps pastorum est, ita & in presbyteris vel senioribus Princeps presbyterorum putandus est, & in Episcopis Princeps Episcoporum, & omne quodcumque honorabile nomen est, primum in hoc & principem esse credendum est Saluatorem, quia ipse est omnium caput.]

The oph. Reynaudi de Atrib. Christi.

Excellencia ergo Pontificatus Christi, ex prædicta origine euidens videtur. Multus in ea aperienda, est Apostolus in Epist. ad Hebræos, commendans præsertim Pontificis nostri cælo excellentioris dignitatem, & innocentiam, ac sempiternitatem, qui vna oblatione consummauerit sanctificatos, nec multiplicibus hostiis egerit ob insufficientiam singularum; & cum semper viuat, Pontifex sit in æternum. Quæ omnia longè aliter se habebant in veteri Pontificatu, quem ibi Apostolus, cum Christi Pontificatu componit.

Non est quod in his circa Christum exponendis, multus sim, cum vniuersa propè superiore tractatione, id iam sit præstitum. Ne tamen hic locus omnino ieiunus abeat, tres illas prærogatiuas, quas ab Apostolo circa Christi Pontificatum celebratas dixi, obiter illustrabo; prolati iuxta Patrum interpretationem adumbrationibus earum in antiquo Pontifice, in quibus ad Christi Pontificis maiestatem & dores accommodandis, multi sunt Patres. [Est enim sacerdos, (inquit S. Cyrillus 13. de ador. *sub finem*),) Christi figura expressæque forma: illa enim Emmanuel appellatus est, mediator Dei & hominum, Apostolus etiam, & Pontifex confessionis nostræ secundum Scripturas. *Qui non per sanguinem hircorum, & vitulorum, sed per proprium sanguinem, introiit in sancta sanctorum semel, æterna redemptione inuenta: & vna oblatione consummauit in æternum sanctificatos, vt Scripturæ tradunt.*] Et lib. ii. initio. [Lex tanquam in umbris & imagine, exornat ipsum Aaron, eamque illius variæ vestis gloriam, ad Christum refert: propemodum enim vna cum illo artificioso apparatus contexta, ratio mystica atque subtilis inuenitur, quæ figuratè Saluatoris nostri gloriam indicat. Vide enim quemadmodum vestium opifices, spiritu sapientiæ qui datur à Deo, repletos esse dicat, qui spiritus illos ad floridi ac variegati operis effectum perduceret, & Christi gloriam in vestimentis desciberet.] Ea ergo Pontificiæ Christi dignitatis Symbola, quæ in veteri Pontifice emicuerunt, attingamus.

#### Adumbrationes maiestatis Pontificiæ Christi, in veteri Pontifice iuxta Patres.

1078. Maiestatem, & dignitatem, illustratque ornamenta Christi Pontificis, expressit iudice Prospero p. 2. de promiss. cap. 3. vestitus Pontificis Aaronici, quem ex cap. 28. Exodi sic in pauca contrahit. [Ipsius Aaron vestis, mystica taxatione describitur: *Indues*, (inquit,) *eum tunicam talarem ex lana byacintina, scapulisque eius superhumeralis impones. Duos lapides smaragdinos sculptos singulos singulis nominibus filiorum Israël, e quibus catenilla ex aurum purissimo percurrentes umbones ultimos humeralis apponent. Quadratum quoque ex diuersis coloribus pretiosisque duodecim lapidibus fibulam rationalem sacerdotis in pectore collocandam, quæ duas principales partes superhumeralis astringat. Cingulum quoque lumbis eius dandum, atque in oratariis tunica quinquaginta tintinabula aurea totidemque mala granata in medio tintinabulorum poni iubentur: vt omnis vestis ex supradictis speciebus*

CCCc 2

speciem vario opere confecta fulgeret. Capiti quoque ipse hac imponenda præcepta sunt: *Cidaris ex bysso mundo, mirram, quoque, ex qua lamina conscripta in titulum pendens, caput frontemque sacerdotis consecraret.* Hactenus summa & compendium ornamentorum Aaronici Pontificis, ad exprimentam eius dignitatem & maiestatem.

Ea omnia sic accommodat Christo, Prosper. [Cidaris ex bysso in capite eius, iustitia (vt diximus) sanctorum est: Quoniam omnis viri caput, Christus est, à quo est omnis iustitia. Quod mitram regalem, indicat sacerdotium spiritualeque connubium. Quod titulus conscriptus, in passione sacerdoti nostro Pilatus imposuit. Tunica talaris, viscera sunt misericordie Dei nostri, de quibus Apostolus dicit, *Induite vos sicut electos Dei viscera misericordie.* Superhumerales vero, principatū eius ostendit de quo dicit Elaias, *Datus est vobis filius, & factus est principatus super humeros eius.* Duo lapides in humeris, duo præcepta sunt dilectionis Dei & proximi, quibus duodecim tribuum sculpta nomina continentur, duodecim discipulos in hoc numero iā designantes, quos noster sacerdos in humeris perfecta dilectione portauit. *Cum enim dilexisset,* ait Euangelista Ioannes, *discipulos suos, usque in finem dilexit eos.* Ex his catenula portantes vimbones, fructus sunt spiritus, charitas, gaudium, pax, longanimitas, benignitas, bonitas, fides, mansuetudo, continentia. Rationalis in pectore, ex pretiosis omnibus, omnis est doctrina Pontificis, vt sit, sicut Apostolus dicit, habens rationale obsequium. Præcinctum sanè nostrum sacerdotem, nonagesimus secundus Psalmus ostendit. *Induit,* (inquit,) *Dominus fortitudinem & præcinctus est.* In quinquaginta verò tintinabulis, totidemque malis granatis, linguæ sunt Ecclesiarum, quæ per sanctum Spiritum die Pentecostes, in specie ignis diuina, discipulis infederant. Vt etiam numerus ipse ostendit, ex quo mala granata omnis Ecclesia per mundum, connexos, vt grana intrinsecus continens populos, in vinculo pacis, & gratiæ, vnum eos tegmen operat charitatis. Resonantibus enim tintinabulis Apostolis, mala granata statim mota sunt, in Actibus Apostolorum dicentia; *Nonne hi qui loquuntur natione sunt Galilai? & quomodo agnoscimus in illis sermonem in quo nati sumus?* & sequitur; *Varis enim linguis magnificabant Deum.* Sed hæc omnia gressibus liberi sacerdotis mouentur, dum ingreditur in sancta sanctorum, quod pro nobis noster iam mediator ascendit, apparet ante faciem Dei.]

1079 S. Cyrillus lib. 11. de ador. torum hunc Pontificium vestitum Aaronis, fidelibus primùm singulis accommodat. Tum subdit, [Sin ipse quoque Christus, intelligatur, tanquam in Aaron persona talarem subuculam habens, nihilominus verissimè dicta fuisse perspicimus. Ille namque Vnigenitus, cum sit secundum naturam Deus, incorruptibile suum corpus effecit; & cum illud supernæ vitæ amictu induisset, prorsus mortis dominatu valentius reddidit. Nam in Christo secundum naturam, simul & ex participatione, incorruptionem ac vitam inesse, hinc quoque intelliges: nam vt qui secundum naturam Deus esset, dixit; *Ego sum resurrectio & vita.* Idem tamen secundum naturam viuificatus humanam, sicut enim Pater, (in-

quit) *habes vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Igitur, etiam ipse Christus intelligatur is, qui superna incorruptione amictus esse dicitur, nihil ab eo, quod deceat, aberrabit oratio. Ad extremas autem partes malogranata atque tintinabula æterna posita erant, malogranata quidem contexta, tintinabula verò aurea, vt & sonum verè haberent; & dum ingrederetur Aaron in sancta sanctorum, eius ingressum notissimum faceret: Id quoque symbolum est illius salutaris atque sapientis dispensationis, diuinæ inquam atque Euangelicæ prædicationis, qua propemodum vniuersæ vrbes circumsonant, cum propter nos introiuit in sancta sanctorum, æterna redemptione, inuenta; summus ille sacerdos, immaculata victima. Vna enim oblatione, consummavit in perpetuum sanctificatos. Sunt autem minime oblectum enigma, prædicationis quidem salutaris, illa ex auro facta tintinabula, vbi autem malogranata.]

Rupertus insigniter lib. 4. in Exod. cap. 23. [Æcemialia linea sacerdotis magni, decus significat Incarnationis sanctæ Christi filij Dei, qua præornata est natura nostra ignobilis: & plaga peccati originalis folijs hinc in Adam infeliciter contexta, in isto exclusa est: Non enim de ulcerosa libidine vt nos, ita & ille conceptus est, sed de munda simplici virgine, byssum rectoram, id est, candidi & comquinati corporis decorem induit & fortitudinem, vnde & corporis sui, quod est Ecclesia, vt recendiam, scilicet originale peccatum operuit. De hoc vestimento eius Ioannes in Apocalypsi; *Et habet;* (inquit,) *in vestimento, & in femore suo scriptum, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Tunica deinde linea distracta id est, subucula quam vulgò *camisiam* vocant, noua est eiusdem celestis hominis vita: quia videlicet sicut nouo & insulato ordine conceptus & natus, sic noua, & veteri vitæ contraria pulchritudine, inter homines conuersatus est. Balthicus circa tenes, fortitudo diuinitatis est, per quam commoueri non potuit. Vnde & in Psalmo cum dixisset, *in super & usque ad noctem increperunt me renes mei,* conturbò subiunxit: *Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam à dextris est mihi, ne commouear.* Etenim sic ille cognouit figmentum nostrum, & ita vsque ad noctem, id est, vsque ad mortis tribulationem sui renes increperunt eum, vt experimento sciret, id quod nullo vniquam passibili modo trellatus est, non ex ipsa carnis natura, sed ex diuinitate esse, quæ à dextris erat. Vnde verissimè Apostolus dicit; *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compatiri infirmitatibus nostris,* quoties tentatur à rebus nostris: quia sic aliis infirmitatibus tentatus est, sicut & tentatione peccati tentatus fuisse, si non esset Deus, quod non sumus nos. Tunica hyacinthina cum tintinabulis & malis puniceis, vita vel conuersatio gloriosa est, eiusdem Pontificis nostri Domini Iesu Christi, à baptismo Ioannis. Ex tunc enim tintinabulis crepit perstrepere, id est aperta & publica prædicatione personare; malis puniceis intermicantibus, id est, miraculorum operibus per singula penè verba concurrentibus. Ipse color tunice hyacinthina, celestem eorumdem operum eius exprimit dignitatem. Vnde dicitur in Cantica; *Manus eius tornatiles, aurea, plena hyacinthis.* Illic

Illic in manibus, hinc in vestitu, secundum hyacinthi colorem aëreum, eius (ut dictum est,) opera designantur, qui non de terra est, neque de terra loquitur, sed de caelo venit, & super omnes est. Et bene per tunica circuitum, deorsum ad pedes mala rubent, & tintinnabula contrepant in ingressu Sanctuarij, quia videlicet, maxime in fine vitæ mortalis, operosa claruit dilectio, vel doctrina Redemptoris. *Cum enim* (inquit Evangelista,) *dilexisset suos qui erant in mundo, in finem quoque dilexit eos.* Tintinnabula, id est, dilectionis præcepta, quibus in illa cæna personuit, totus mundus audiuit: & mala rubentia, scilicet vitæ æternæ fructum, de illo ingressu eius in cæleste sanctuarium, totus orbis consecutus est. Supernaturale huius Pontificis, obedientia charitatis est, quia idem Christus filius Dei, portandis, imò tollendis peccatis nostris humeros suos supposuit, & cum illis in crucem ascendit. Nam *Dominus*, (inquit Propheta) *positus in eo iniquitates omnium nostrum.* Et bene ex quatuor coloribus supradictis, qui quatuor respondent elementis mundi, auro quoque intextum superhumerali fieri debuit, quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non autem pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi, non coacta, sed spontanea charitate, quæ cæteris virtutibus ita præeminet, ut cæteris metallis aurum præpollet. *Dux* oræ iunctæ, & in singulis humeris singuli lapides onychini, nominibus duodecim filiorum Israël inscripti, duo sunt populi temporibus quidem distincti, sed causa vel sacramento coniuncti, quorum Christus peccata in corpore suo perulit. Neuter quippe aliter nisi per Christi gratiam saluari potuit, & uterque vno eodemque peccatorum portatore Christo indiguit. Et rectè lapides Onychini, quæ species gemmæ, sive lapidis, colorem habet vnguis humani. Vnde & vocabulum sortitum est, (Græci namque *onyx* *Onycken* dicunt,) rectè inquam, quia pro hominibus Deus homo factus, peccatorum superhumerali oneratus est, lapides eiusmodi, nominibus filiorum Israël, id est, electorum omnium inscripti sunt: Ipse enim cunctos nouit ex nomine, quorum super se peccata tulit. Vnde & appropinquans articulo passionis; *Ego* (inquit,) *scio quos elegerim.* *Iuxta ordinem*, (inquit,) *natiuitatis eorum, sculptos eos.* Ergo cuncti maiores in vno, cuncti minores nati, scripti sunt in lapide altero. Maiores filij Israël sunt, qui ante: minores, qui post aduentum humerosi huius portatoris peccatorum conscripti sunt. Maiores, inquam, qui ex Iudæis, minores qui ex Gentibus sunt. Nam de illo populo loquitur Deus ad Pharaonem; *Filius meus, primogenitus meus Israël.* Rationale igitur iungitur superhumerali, quia misericordia & veritas obuauerunt sibi. Misericordia in superhumerali, veritas intelligitur in rationali: Vnde & dicitur *rationale iudicij*. Doctrina quoque & veritas inscribitur illi. Qui enim in misericordia redemit, idem ipse in veritate iudicabit: Inde non vno aut duobus lapidibus Onychinis in rationali, sicut in superhumerali cuncta filiorum Israël nomina, sed singuli lapidibus singula inscripta sunt. Nam vna quidem gratia cunctos Christus redemit, & cunctorum super humeros suos peccata tulit, sed in iudicio, reddet vnicuique secundum opera sua. Et electorum quoque non omnium eadem erunt præ-

mia, sed pro diuersis differentia meritis. *Multa enim*, (inquit,) *mansiones in domo Patris mei.* Multitudinem mansionum cælestium, multiplex & distinctus designat ordo lapidum pretiosorum. Etenim apud Ezechielem contra Principem Tyri, nouem ordines Angelorum, per nouem designantur nomina lapidum. Notandum, quod in superhumerali non solum catenula sed & vncini sunt, qui rationale iudicij constringant, quia videlicet in misericordia Redemptoris, nostræ spei ancora sunt, ut semper misericordia superexaltet iudicium. Hoc in peccato suo portat Pontifex; nam in præsentia sua scriptos habet omnes, omniumque condignas meritis, ab origine mundi parauit mansiones. Cydarum quoque super caput Pontifex accipit, ne Cherinthus vel Arrius, seu quilibet alius hæreticus, Iesu Christi filij Dei caput, id est initium se vidisse arbitretur. Non enim sicut nos, ita & ille à carne existendi initium habuit, iuxta blasphemiam Cherinthi, qui illum ante Mariam exitisse negauit; sed diuinum caput, quod erat in principio & ante secula, ibi abscondit. Cydaris ergo caput tegit Pontificis, quia videlicet incomprehensibilis est antiquitas vel origo diuinitatis Christi. Lamina aurea fronti imminens, corona est gloria & honoris in capite Redemptoris. *Gloria*, (inquit,) *& honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum.* Omnia subiecisti sub pedibus eius. Et Apostolus cum dixisset: *Christus factus est pro nobis obediens Patri, usque ad mortem, mortem autem crucis*, continuo subiunxit: *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Huius rei mysterium, scilicet nominis, quod est super omne nomen, in eo est; quod lamina, sanctum Domini insculptum est, id est, nomen Domini Tetragrammaton, quod ineffabile dicunt. Scribitur quatuor literis *Ioh, he, van he*, quæ in syllabam aut vocem articulatam comprehendere nequeunt. Arcanum Scripturæ hæcenus later, nisi quia ex interpretatione elementorum colligi potest, quod Evangelicam fidem non minime delectat. Interpretatur enim *Ioh*, principium, *He*, iste: *Van & He*, iste: Estque continuus literarum sensus, *Principium iste & iste*; hoc, inquam, iure nos delectet, quia principium iste Pater, & principium iste filius est. Patrem esse principium videns, vltro consentit. Principium se quoque esse filius defendit, quia interrogantibus Iudæis: *Tu quis es? Principium* (ait,) *qui & loquor vobis.* Hoc nomen profecto super omne nomen est, quia super principium, nihil esse potest. Igitur octauum Pontificis decus, aurea lamina est, insculptum habens ineffabile nomen, quod dicitur *sanctum Domini*, quia videlicet Christo Pontifici propter passionem mortis, octaua sua, id est, resurrectionis gloria coronato, nomen quod est super omne nomen Pater donauit, ut in nomine Iesu omne genua flexantur, cælestium, terrestrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Iesus Christus, in gloria est Dei Patris. ]

1080 Paulò aliter, mysteria ornamentorum præfati Pontificis, ad dignitatem & dotes Pontificis nostri adaptat Clemens Alex. 5. Strom. cap. 3. vbi profertur antiquos Pontifices ad imaginem Domini fuisse electos. Iungens enim interpretationem illam earum vestium



que apud Sapiemem insinuatur, & apud Philonem plenè traditur lib. 3. de vita Moysis; cum interpretatione mystica spectante Christum, post alia de talari veste Pontificis mundum sensibilem designante; sic ait de eius limbo. [Trecenta sexaginta sex tintinabula quæ pendent à veste talari, est tempus annum. Annus, inquam, Domini acceptus, prædicans & resonans maximum aduentum Seruatoris. Quinetiam pileus aureus qui est extensus significat regalem Domini potestatem, siquidem caput Ecclesiæ est Seruator. Signum certè principalis imperij est, pileus capiti impositus, & alioqui audiuimus; *Et Christi caput est Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi.* Iam verò pectorale quidem, constat & ex superhumerali, quod est Symbolum operis, & ex rationali. Hoc autem significat rationem, & est imago cæli, quod ratione seu verbo factum est, & subiicitur omnium capiti Christo, vt quod similiter & eodem modo mouetur. Lucida verò smagradi gemmæ, quæ sunt superhumeralæ, significant Solem & Lunam, qui sunt adiutores naturæ. Manus autem, vt opinor, principium est humeris. Duodecim autem illa quæ sunt in quatuor ordinibus locatæ super pectus, describunt nobis circulum Zodiacum, conuenienter quatuor anni conuersionibus. Et alioqui oportebat capiti Domini legem quidem subiici & Prophetas, propterea quod iusti significantur in vtrisque Testamentis. Prophetas enim simul & iustos, dicentes esse Apostolos rectè dixerimus, cum vnus & idem sanctus Spiritus, operetur per omnes. Quomodò autem Dominus est supra mundum vniuersum, atque aded vltra mundum qui percipitur intelligentia; ita etiam nomen quod inscribitur est in lamina, dignum fuit habitum, quod esset super omnem principatum & potestatem. [Et mox. Iam verò rationale, Prophetiam quæ per Verbum clamat, & prædicat, & futurum iudicium significat. Nam idem est Verbum quod simul prædicat, & iudicat, & singula discernit. Ajunt autem indumentum, vestem, inquam, talarem, prædicere carnis susceptæ dispensationem, per quam in mundo visus est propinquus. Ea certè ratione, sanctificatam exiens Pontifex tunicam; mundus autem, & quæ est in mundo creatura, sanctificata est ab eo qui quæ facta sunt bona simul composuit, lauatur & induitur aliam sanctam sancti, vt ita dicam, tunicam, quæ vna cum eo ingreditur in adyto.]

Duodecim lapides rationali confectos, S. Macarius hom. 2. sic Christo aptat. [Ille sacerdos circumdatus infinitate, ingrediebatur in sancta offerens hostias, tum sui ipsius, tum populi causa; hic autem verus Pontifex Christus, semel ingressus est in tabernaculum non manufactum, & supernum altare, paratus eos purgare, qui postulerint ab eo, & inquinatas conscientias: inquit enim, *Vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Habebat in pectore Pontifex duos lapides pretiosos, continentis nomina duodecim Patriarcharum: quod illic fiebat, est figura; quia sic etiam Dominus duodecim Apostolis amictus, misit eos in Euangelistas & præcones vniuersi mundi. Vides, quemadmodum umbra, proximè veritatem indicet.] Cydarim Prisci Pontificis, regis Christi coronæ fuisse symbolum, iam supra ex S. Cyrillo diximus, cum de

Christi regio diademate differeremus. *Talem ego habemus Pontificem* (vt cum Apostolo dicam Hebr. 7.) *qui confedit in dextera sedis magnitudinis in celo, sanctorum ministrus & tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo.*

*Sanctitas Christi Pontificis, quomodo in veteri Pontifice adumbrata, iuxta Patres.*

1081 Iam verò innocentiam & sanctitatem summam Pontificis nostri, perbellè omnino expressit multiplex sanctitas legalis, prisci Pontificis, quam Dei filio aptat Philo l. de profugis, cum exponit concessum profugis reditum in morte Pontificis, Scio non venisse fortassis Philoni in mentem, eo loco, vt de filio Dei came amictu agere vellet; & pleraque ibi ab eo dici Platonice, quæ exacta ad Christianam ventrem, admitti nequeant. Tamen aurum de arctis illius legere, & de cautione adhibenda præmonito lectore, eum audire operæ pretium fuerit. [Hæc est (inquit,) nostra sententia; Pontificem hunc, non hominem, sed Dei Verbum esse, quod experts est peccatorum omnium, non solum spontaneorum, verum etiam inuoluntariorum. Hunc enim negat Moses, vel ob patrem intellectum, vel ob matrem sentiendi vim contemnari; vt opinor idèd, quia parentes immortales purissimisque sortitus est. Patrem Deum, qui omnium rerum Pater est; matrem verò sapientiam, per quam quidquid est, cum prius non fuerit, in lucem prodit. Et idèd caput eius vngitur oleo: principatus, inquam eius, splendido circumfulget lumine, vt merito exultimetur amictus vestibus. Nam antiquissimum eius qui est Verbum, mundo vt velle induitur. Vestitur enim terra, aqua, aëre, igne, & cæteris quæ ex eis ortum habent. Anima autem particularis, vestitur corpore, & sapientis mens virtutibus. Quod autem caput eius, perpetuò mitra tegitur, significat diademata regum, in signum potestatis non summæ quidem, sed protegia, alioquin mitificæ. Idem vetatur vestem scindere. Nam & Entis illius verbum, cum sit vinculum terram omnium, (vt dictum est,) continet partes omnes & constringit; non sinens eas dissoluti abibique; & particularis anima, quantum potest non permittit vllam partem corporis præter naturam diffindi resecatique; ita vt integra omnes & inter se vnità cohaereant indissolubiles. Mens item sapientis purificata integras & coniunctas virtutes conseruat, conciliante eas naturali cognatione. Hic Pontifex ad nullam animam mortuam, (vt inquit Moses,) superueniens mors autem animæ est vita cum vitio: Itaque nullum scelus attinget, qualia tractare solet insipientia. Huic etiam Virgo è factato genere iungitur, pura, incontaminata semper incorrupta sententia. Nam vidua, vel expulsa, vel prophana, vel meretricis, maritus nunquam fiet, perpetuus inimicus harum omnium; odit enim viduatas virtutes, & expulsa profugataque ab ea, atque etiam omnem prophanam perturbationem, & promiscuam consuetudinem cum multis numinibus, proinde impiam meretricem ne aspiciere quidem dignatur, amator eius feminae quæ vnum maritum habet, & vnum parentem proficitur Deum omnipotentem. In huiusmodi

di conditione apparet eximia quaedam perfectio.]

Purius & plenius, de eadem Pontificis nostri sanctitate, in antiqui Pontificis legali sanctitate, tanquam in typo adumbrata, philosophatur S. Cyrillus lib. 12. de ador. his præter cætera. [Esse in Christo nulla ex parte prophani aliquid, obliquè significatur in eo quod dicitur, recedendum esse summo Sacerdoti à funere, neque eum ad vllum omnino mortuum accedere debere, posthabendamque in hac parte illam in patrem & matrem ac fratres obseruantiam. Vide autem quam prudens fuerit ipsa lex, quamque aptum his sententiis decorum minime parui penderit: in aliis enim Sacerdotibus, naturæ verecundia commouebatur, permittebaturque Sacerdotibus sanctificatis, in mortuis, qui summa ipsi propinquitate atque cognatione iuncti essent, sine vlla criminis nota consuetudinem sequi: & ne quid in vmbra peccati admittetur, non valde laborauit. Ea namque culpæ describebantur, quæ ad nos spectarent; figuræque illa ad homines pertinebat, quibus nihil mirum, si quid maculæ sit adiunctum. In multis enim delinquentibus omnes, naturæque ipsa in nobis delinquendi morbo laborat. At verò in summo Sacerdote, id est Christo, serua est etiam in ipsa figura, pura integraque maiestas, & illa in vmbra ipsius quoque sinceritas, vt ne pulchritudo veritatis tanquam in illis violata corrumpetur: alienus est enim ab impunitate Christus, & peccati prorsus ignarus, & ab omni contaminatione remotus. Immo verò splendoris atque puritatis cognitor, & in summa sanctificatione positus, eiusque rei præstantia nunquam in eo enanescit, quòd naturalium legum firmitate fixus sit, & semper in eodem statu eodemque modo permaneat. Id verò illa verba indicant; *De Sanctis non egredietur, & non prophanabit sanctificationem Dei sui.*]

1082. Egregiè verò Arnouldus Carnot. tract. de vltimo Christi verbo, post descriptum plenissimè & tropologicè expositum Aaronici Pontificis vestimentum vniuersum, omnia illius mysteria à Christo futurorum bonorum Pontifice fuisse consummata, sic docet. [Hæc omnia noster Pontifex, indutus decore & fortitudine, in spiritu & veritate consummauit: & ingressus sacratiore cultu quam Aaron, virtutum significatarum ipsam rem amplius nos voluit moribus implere quam vestibus, & lumbos spiritali zona succingi præcipiens, ad lucem sui intellectus & cognitionem diuinam, sine carnis mentisque munditia, neminem posse peruenire, in illa præcognitione nos docuit. Denique ipsa tunica inconsultili quasi potere Pontificali indutus, integritatem charitatis, & vnitatem Spiritus in vinculo pacis, in eo nos obseruare docuit. Crucem autem quasi superhumerali, sacrificium oblatum pro populo, humeris imposuit: & plaga & sanguis loco rationalis, non solum intra se duodecim filiorum Israel nomina concluderunt, sed & totius generis humani, opus illud complexum est naturam: sicut & infixus capiti titulus continebat, scriptus Græcè Hebraicè & Latinè. Nihil ad sanguinem Christi coccus legis bis tinctus apparet: vltra septuagies septies, nostra tinctura præceditotum pallidum est, quidquid lex typicè colorauit: & ad comparationem veritatis totum

marcidum est, quidquid contextum fuerat in figuris. Nulla hyacinthi comparatio ad carnem Christi: quia cum Verbum caro factum sit, totum cæleste erat, quod nulla peccati infecerat macula, nec quicquam ei de suo princeps huius mundi adlinuerat. Nec byssus, nec purpura, eius mundiciæ vel gloriæ aliqua ratione aptantur; omnia superat eius potestas & sanctitas, sanctitudo naturæ, & principatus iustitiæ, & amplioris gloriæ sunt, quam sîla qualibet torquentibus digitis elaborata, vel concilio sanguine delibuta. Imposita est capiti Christi corona pro cydari, & intextæ illi sero erant pro brachiis spinæ; & pro lamina aurea in qua nomen Dei sculptum erat, lignum ceruicis supereminens, in quo Pilatus pro Beseleel conscripserat nomen, quo nihil in cælo vel in terra sanctius, nihil potentius, nihil mirabilius. *Iesus Nazareus Rex Iudaorum.* Hæc scripsit gentilis homo nesciens quia ipse esset Rex etiam Gentium. Idè autem scripsit vtique non intelligens, quia ad hunc titulum peruenturus erat, & iungendus aliquando populus Gentium. Vnix etiam manus Sacerdotis nostri, imò & caput, & pedes, & latus, sanguis balsamo pretiosior: quem vtique puncturæ veptium & clauorum & lannæ exprimebant, & fundebant extrinsecus: eratque omni oleo liquor ille celebrior, sanctificationem & emundationem nostram non significans, sed consummans. Hæc & alia multa, quæ lex velamine posito super faciem Moysi absconderat, Christo transfigurato in monte, paucis patuere Discipulis; & consummato in cruce, facta sunt euidentia vniuersis.]

Concinit Petrus Cellensis lib. de Patribus cap. 20. [Ait Dominus agens de indumentis Pontificalibus in Leuitico; *Pontifex, id est Sacerdos magnus inter fratres suos, super eius caput fufum est vntionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio consecrate sunt, vestitusque est sanctis vestibus, caput suum non discoperiet, vestimenta non scindet, & ad omnem mortuum non egredietur omnino: super patre suo non contaminabitur, nec egredietur de sanctis, ne polluat sanctuarium Domini, quia oleum sanctæ vntionis Domini Dei super eum est.* Allegoricè: Christus Pontifex, id est, Sacerdos magnus inter fratres Apostolos suos, cuius auxilio mortalitatis flumina, à ripa natiuitatis vsque ad litus mortis quaquaversum profusa; ponte crucis imposito, sicis vestigiis transmittitur, & accessum habemus ad Deum in nauigio sanguinis ipsius. *Fufum est autem oleum super caput eius;* siue quia conceptus est de Spiritu sancto, siue quia non ad mensuram datus est ei Spiritus. *Manus quoque eius Sacerdotio consecrate sunt;* cum ad populum non credentem, tota die extensæ, & in ligno crucifixæ, proprio sanguine ad aspergendos populos consecrate atque dedicate sunt. *Vestitusque est sanctis vestibus,* id est, virtutibus, charitate, iustitia, patientia, fortitudine in passione, siue gloria & honore in resurrectione. *Caput suum non discoperuit,* quia diuinitatem suam in passione celauit, vel in diuinitatis natura à Patre se nunquam separauit. *Vestimenta non scidit,* quia vnitus semel homini Deus Verbum, nunquam à Patre recessit. *Ad omnem mortuum non ingreditur omnino:* quia peccatum non fecit vel contraxit, neque in conceptione, neque in morte;

morte. *Super Patre suo & matre non est conaminatus*: quia Ioseph Pater eius, ( officio scilicet administrationis, non commixtione generationis, ) Virgineum non cognouit in contaminatione libidinis; & Maria mater, non de viro, sed de Spiritu sancto, inuoluta concepit, & incorrupta peperit. *Non egreditur de sanctis*, quia etiam cum esset cum hominibus in terris, semper tamen fuit & est cum Patre in caelis. *Non polluit sanctuarium Domini*, quia caro eius non vidit corruptionem.]

De eodem ( vt vocat, ) virtutum ornatu, & vestitu, flores virtutum praeferebat in Christi typum, insignitum S. Chrysostomus orat. de vno legislatore & Giselbertus cap. 9. Altercat. *sub finem*. Haec fuit Christi Pontificis sanctitudo, & puritas summa: in antiquo quidem Pontifice, per typos & aenigmata vtunque delineata; in Christo autem ad veritatem expressa. Nimirum vt recte hac Christi sanctitate proposita, concludit Apostolus Heb. 7. *Talis debeat vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus; & excelsior caelo factus.*

#### Typus perennitatis Pontificatus Christi.

1083 Tandem Pontificatus Christi perennitatem, exprimebat nunquam deposita Aaronici Pontificis mitra, ex praecipito lato Leuit. 21. de quo sic commentatur S. Cyrillus lib. 12. de adorat. [ Vides euidenter, vt in figuris adhuc Emmanuel etiam Christum, in Aaron appellatum: vnctus est enim Spiritus, vt Scriptura tradunt; cum ipse perfectissimus esset sacerdos; ob eamque causam sacerdotij gloriam eiusmodi haberet, vt admittere non posset: *Neque*, enim, inquit, *pones de capite suo cidarim*, id est, habitum sacerdotalem non amittet. Dictum est namque illi omnium Saluatori ac liberatori; *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech*. Et illi quidem plures facti sunt sacerdotes, eo quod a morte prohiberentur permanere, hic autem, eo quod aeternum sempiternum habet sacerdotium: unde & saluare in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum; Ita enim scripsit Beatus Paulus. Igitur hoc ipsum, quod cidaris non ponebatur de capite, sacerdotij dignitatem nunquam ab eo remouendam significat. ] Est ergo Christus sacerdos in aeternum, & Pontifex perpetuus, vt proximè ex Apostolo referentem S. Cyrillum audisti.

Non est autem huius loci, ostendere quomodo ea perpetuitas Pontificatus Christi, non excludit vicarios eius, Romano Pontifices. Facile quippe est intelligere, cum eorum vicariatu mutabili, cohaerere perpetuum Christi Pontificatum; successore carentem. Romani enim Pontifices, sunt quidem Christi Pontificis Vicarij, sed non successores: quamuis ex eo quod simul dicantur Christi Pontificis Vicarij, & S. Petri successores, imperite nonnullis quandoque excidat, vt eos appellent *Christi successores*: de quo nuper in quadam vicina Metropoli iurgium efferbuit; cum Praesul in quodam suo diplomate Romanum Pontificem vocasset Christi successorem; idque aliqui improbant, alij tuerentur. Merito autem improbat ea locutio, quia aperte aduersatur S. Paulo, diserte tradenti non succedere quemquam Christo in Pontifi-

catu; & sempiternum Christi sacerdotium, id est Pontificatum agnoscanti. Scio eam locutionem, *Romanus Pontifex, est Christi successor*, legi apud Autorem operis de Regim. Princ. lib. 3. cap. 10. Verum illud opus quod aliqui falso inscribunt Dño Thomæ, scateat improprietatibus locutionum & falsitatibus; vt nequeat sanè magnum praesidium collocari in suffragatione illius auctoris. Interdum quoque auctores, cum extra locum aliquod attingunt, non laborant de exacta & vsquequaque elimata locutione. Sic enim S. Bonifacius in sua professione fidei ( habetur pag. 163. Epistolatum; ) Romanum Pontificem, vocat *vicarium S. Petri*, quod eodem modo loquitur Felix III. Epist. 4. ad Zenonem Imperatorum, & Vigilius Papa in Encyclica ad fideles: quod constat æque improprie dici, ac cum dicitur *successor Christi*. Sicut ergo eam S. Bonifacij locutionem benignè mollimus, ita & hæc tibi legatur mollienda est; quia in rigore est falsa. Quod autem Romanus Pontifex, *summus Pontifex* appellatur, non argui cum Christo succedere quasi quia non possunt simul esse duo Pontifices summi, Christus diserte esse sacerdos summus. Hoc inquam non potest inde concludi. Episcopus namque Romanus, iudicet tantum appellatur Pontifex summus, quia est caput quorumvis aliorum Pontificum visibilibus. Ceterum summus iste Pontifex visibilis, Ecclesiam visibilem militantem regens, non ita est summus, quin Christo perpetuo Pontifici subiectus tanquam Vicarius generalis, Vnde solus Christus, est absolute summus Pontifex: nec quod visibilibus Ecclesiae capibus sub Christo nomen summorum Pontificum per comparationem ad inferiores Pontifices tribuatur, quicquam derogat Christi Pontificatus perennitati, & vt Apostolus loquitur, sempiterno sacerdotio.

#### Vsus doctrinae de Christo Pontifice.

1084 Hic Christi Pontificatus, quanti amoris incenium nobis esse debeat, accipe ex Ruperto lib. 3. de Processione Spiritus sancti cap. 19. [ Vt quantum debeas creatori homo perpendas, & causam tuam melius ipse discernas adde quod nusquam Angelos apprehendit, sed humanam de semine Abrahae naturam apprehendit: tali apprehensione, vt autor salutis tuae, dignaretur per passionem mortis consummari. Quota in hoc est portio debiti tui, debita gratiarum actionis? Angelos & creauit, & eos qui non peccauerunt, magnificauit; te autem & creauit, & cum vniuersis in Adam peccauisset, iustificauit & insuper magnificauit. Iustificauit (inquam) dato illo Spiritu sancti quod est remissio peccatorum, quo electio creaturae Angelicae quæ non perierat, non indignit. Magnificauit alio dato eiusdem Spiritus sancti, quod est diuisio gratiarum, quorum in primis illos caelestes spiritus ornavit, suæ magnificauit. Angelorum itaque Deus est, tibi autem idem Deus est & Pontifex; simul vero & Angelorum & hominum Rex, vnus idemque Dei filius est. Cum hæc ita sint, putasne plura in altari pectoris tui ligna, quam Angelus habes ad nutriendum ignem diuini amoris? ]

Et quod nostrum in Christum amorem ex hoc capite incendere maxime debet, sciendum est

est præ Christo Pontifice, nulli alteri Pontificis nomen deberi. Sic enim S. Petrus quem inter vocatos summos Pontifices, primum & optimum agnoscimus, Epistola 1. cap. 2. Christum vocat *Pastorem & Episcopum animarum nostrarum*. Quem absolute pastorem & Episcopum nostrum nominat, significat ita eminere in eo munere, vt nullus præ ipso alius sit Pastor noster, & Episcopus, siue Pontifex. Studeamus & nos quandoquidem Christi membra sumus, agere Pontifices in anima nostra. Monitum est Origenis hom. 6. in Leuit. *sub medium*.



CAPVT XII.

*Christus, Pastor & Episcopus animarum nostrarum.*

**P**ASTOREM Christum, considerandum suscipio, pro vt oues rationales, quoscunque inquam homines, tanquam bonus Pastor, omni cura inpena pascit. Merito autem tractationem huius tituli Christi, adiungimus tractationi de Christo Pontifice. Idem quippe sunt, Pontifex & Pastor, ac Episcopus; nisi quod *Pastoris* nomen, dicitur per comparationem ad *ouile*: eodemque etiam ex vsu, traditum est nomen *Episcopi*, tanquam inuigilantis gregi, superque illud, vt Pastores faciunt, speculantis & excubantis. Huius metaphora connotatione, caret nomen *Pontificis*, etiam si subiectionem populorum, eorumque directionem ad Deum, per cultum prescriptum, & apta sacramenta, congnificet.

*Christus antonomastice Episcopus, ac Pastor, nos oues, & vnde ea denominationes.*

1085 Vndeunque autem petantur ea nomina, notio subiecta est eadem: vt & non modo Christus quatenus Dei Verbum est Episcopus qua ratione Faustinus l. de fide ad Flauillam c. 1. Christum vocat *totius creaturae Episcopum*, sed etiam quatenus Verbum caro factum verèque dicitur, Episcopum & pastorem quemcunque, etiam si Christi Pastoris & Episcopi imaginem præferat, tamen præ eo atque non esse Pastorem & Episcopum; sicut præ Deo qui solus est, creata omnia dicuntur non esse. Signatum id videtur, eo ritu Christiano, quo Episcopum ad Evangelij recitationem assergere, & Episcopatus in signe deponere, vsus fuit, vt tradit Simeoni Thessalonicensis l. de Templo, exponens quorsum Episcopus cum recitatur Evangelium, vestem ex lina textam *ouibus* vocabant erraticæ ouis Symbolum, quod prius gestabat, abs se remoueat. Idem docent illa Ildori Pelusioræ lib. 1. Epist. 136. [ Id amiculum quod Sacerdos humeris gestat, atque ex lana non ex lino contextum est, ouis illius, quam Dominus aberrantem quæsiuit, inuentamque humeris suis sustulit, pellem designat. Episcopus enim, qui Christi typum gerit, ipsius munere fungitur; atque

*Theoph. Raynaudi de Attrib. Christi.*

ipso etiam habitu illud omnibus ostendit, se boni illius ac magni Pastoris imitorem esse, qui gregis infirmitates sibi ferendas proposuit. Ac diligenter animum attende. Nam cum ipse verus pastor, per adorandorum Euangeliorum apertionem accedit, tum demum Episcopus affertur, atque imitationis habitum deponit: hinc nimirum Dominum ipsum, pastoralis atque ducem, ac Deum & herum, adesse significans. [ *Archipastorem* ea ex causa, Christum nominauit S. Athanasius orat. de cæco à Natiuitate, *sub finem*. Idem sonat quod ex S. Ignatio supra retuli, Epistola ad Magnesianos, vocante Christum, *verum & primum Episcopum*; quasi reliqui præ eo, & in comparatione ad eum, non essent Episcopi ac Pastores.

Hoc ipsum est, quod Christus ab Apostolo Heb. 13. *Pastor magnus ouium* denominatur. Dures esse *magnus Panna*, cuius mors apud Eusebium 5. Præpar. cap. 9. ex Plutarcho lib. de defectu Oraculorum, in illud ipsum tempus refertur, quo Christus occidit. Et quamuis ab Eusebio, Pan. ille magnus per Christi mortem occisus, censetur Satan; non minus aptè tamen ab aliis apud Baronium anno Christi 34. eo nomine, Christus magnus pastor accipitur: cuius mortem sibi adeo extralem, laxerint Dæmones. Et fortiter sanè Christus, sublimissimo & eminentissimo quodam modo, quasi nullus planè alius, omnes veri Pastoris characteres: quod monstrare operosum non erit, vbi contiterit, pastoris nomen, maximè proprium Christo esse, ratione vnionis & Incarnationis; quæ idcirco facta est, vt hominum qui in oues & bruta degenerauerant, Pastorem ageret Deus ipse: quod diligenter profequitur autor homiliae de Oue & Pastore, apud Chrylostomum Tomo 6. Græcol. vbi rationem reddens cur Christus dicitur sit *Ouis*, & cur *Pastor*, ait. [Hoc ergo manifestum, vel vt ouem ductum esse ob supplicij œconomiam: pastor verò fuit propter potentiam illam benignitatis. Neque enim erubescit Deus appellari *Pastor*. Æquum quidem fuerat, nos Deum etiam & Regem agnoscere. Verum posteaquam Deum velut homines ratione præditi, non cognouimus, saltem velut oues brutas pastorem nos vult agnoscere. Si enim cum Deus in hunc mundum venit, te ratione præditum inuenisset, necesse fuisset illum velut Deum, tibi apparere. Verum postquam ille hominem reperit nullum; sed tanquam ouem iam à præseis vsque temporibus errantem, & per Prophetas Dominum inuocantem; *Errantem sicut ouis quæ perit, quare seruum tuum*; idcirco regiam illam dignitatem celat, & pastoris caram officiumque profert. Eam ob rem etiam, ab initio instituit in præsepi suum corpusculum collocari, matre quoque & Iosepho, œconomia & diuinæ dispensationis ministerio, in arcum & angustias adductis. Neque enim illum Seruatoris partem appellauero, neque maritum Maria; sed confortem & mysterij huius mediatorem. Siquidem sponsus ille erat Maria; non autem maritus. Et maritus quidem erat appellatione, re ipsa autem minister œconomia. Hic igitur in Bethleem, cum Maria ita coarctatur, vt propter hospitij angustias, infantem in præsepi collocare necesse haberent. Atqui Deus illis tam angustum arcumque locum procurauit, vt benignus ille, ibidem necessitate compellente, deponeret.